



Lingva Avrea Christianorvm

Ruben, Leonhard

Padibornae, 1606

Capvt 29. Sile[n]tio nihil pulchriùs, ità vt & vitam pro eo ponant Persæ & Anaxarchus, religioisi hominis indicium, salutis acquirendæ certissimum medium, eò sanctiùs nihil.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56433)

CAPVT XXIX.

Silentio nihil pulchrius, ita ut & vitam pro eo ponant Persæ & Anaxarchus, religiosi hominis indicium, salutis acquirendæ certissimum medium, eo sanctius nihil.

*Silen-
tio ni-
hil pul-
chrius*

Persæ.

*Anax-
archus.*

DE primò, quòd scilicet eo nihil sit pulchrius Fraciscus Petrarcha sic scribit, Epistola 5. de rebus familiaribus. Legimus apud Persas nihil fide sanctius, nihil pulchrius silentio, nihil loquacitate deformius. Itaq; vel illud morte custodiunt, hanc morte castigant. Non est qui quocumq; supplicio, sui regis pandat arcanum: si quis fortè contra fecerit nullo non supplicio dignus habetur. Præclare. Quid enim omnino facilius, quàm tacere? Ad quid ergò utilis, aut cui rei sit habendus idoneus, qui rem longè facillimam implere nequiverit? Hæc ille. Simile est apud Paulum Manutium lib. 7. Apoph. de Anaxarcho. Qui cum à tyranno

Nico.

Nicocreonte torqueretur, vt con-
 scios proderet, post multa in re-
 gem dicta conuitia, tandem per i-
 racundiam, & linguæ amputatio-
 nem minanti. Non erit, inquit, ef-
 fœminate adolescens, hæc quoq;
 corporis mei pars, tuæ ditionis: si-
 mulq;, dentibus abscissam, & com-
 mâducatam linguam in os eius irâ
 patens expuit. Quòd tantò maio-
 ri laude dignum, quantò volubi-
 lis linguæ continentia difficilior.
 Cum alioqui nihil videatur faci-
 liùs, quàm hilere. Vnde Chilon ro-
 gatus, quid esset difficile. Arcanũ
 inquit, reticere. Sic Manutius lib.
 2. Apophthechmatum.

Secundùm, quòd scilicet re-
 ligiosi hominis sit indicium, pro-
 batione non eget, cùm id satis ex
 Iacob. 1. 26. sit perspicuum, cùm
 dicit. *Si quis putat se religiosum esse,
 non refranans linguam suam, huius
 vana est religio.* Nota verò hic, per

Reli-
 giosi
 homi-
 nis in-
 diciũ.

Reli-
 giosi
 qui?

religiosos non solos intelligi Clericos, Monachos, aut Eremitas, sed omne genus piorum & fidelium Deum agnoscētium & colentium. Nam ante Monasteriorum fundationē Act. 2. 5. viri religiosi, qui omninatione quę sub cœlo est, fuerūt. Sic tales Hierosolymis cōgregati in die sancto Pentecostes; fuit & cēturio, Act. 10. 2. antequā Christo nomen daret, vir religiosus & timens Deum. Neq; hoc solis viris, sed & sceminis nullo adhuc loco inter Christianas certò destinatis & conclusis tributum; quin & alijs; quales erant mulieres religiosæ, quas Act. 13. 50. Iudæi concitauerunt contra D. Paulum & Barnabam. Dicto loco D. Iacobi conuenit id D. Gregorij libro 5. Moralium. Praui sicut in sensu leues sunt, ità in locutione præcipientes, quia quæ leuis conscientia concipit protinus leuior lin-

gua prodit. Vide plura capite 15. num. 2.

Tertiùm est, quòd sit salutis acquirendæ certissimum medium. quòd patet ex doctrina D. Macharij, quam posuimus superiùs capite 20. numer. 3.

Quartùm est, quòd eo nihil sanctiùs esse duxerint Persæ, vt supra numero 1. diximus. Religiosos igitur, quibus nihil sanctiùs esse debet: quibus maximè dicitur, Leuit. 11. 44. † 19. 2. † 20. 7. 26. *Sancti estote quia ego sanctus sum Dominus Deus vester.* Et Apoc. 12. 11. *Qui sanctus est, sanctificetur adhuc, silentio vel maximè deditos esse oportet.* Hinc quæ sanctissima erant in veteri testamento non omnibus patebant, sed in arca testamenti clausa seruabantur; vt urna aurea habens manna, virga Aaronis quæ fronduerat, & tabulæ testamenti, vt testis est D. Paulus Heb. 9. 4.

Salutis indicium

Eo nihil sanctiùs.

Sicut vers. 1. & 2. dicit Tabernaculum in quo erat sanctum seculare velamento interceptum fuisse. Ac proindè Christus monet Matth. 7. 6. dicens. *Nolite sanctum dare canibus.* Qui scilicet os à latratu continere nequeunt.

CAPVT XXX.

Silentium est sapientiæ & intelligentiæ signum, thesaurum cordis conseruat, & eo nihil tutius.

*Sapiens
tia signum.*

PRimum est, quòd sit sapientiæ signum, vt & intelligentiæ. Nam vt scribit Vincentius in speculo morali lib. 3. dist. 3. part. 1. Socrates inter alios Philosophos tacens, interrogatus vtrum hoc faceret ex inopia, an ex stultitia. Respondit: nemo stultus tacere potest. Idem legitur de Damarato: cui conuenit & id, Prouer. 17. 28. *Stultus quoq; si tacuerit, sapiens reputabitur, & si compresserit labia sua, intelligens.* Vnde Iob 13. 5. ad ami-